


## Austarium huius Problematis

Quia latissime patet illud Problema, multisq; modis vsurpari potest, nolui id in partes dissecare, quin potius alium adhuc velut coronidis loco libet articulum nec ineptū nec inuicundum, breuiter tamen adnectere, eamq; sic cuiq; lectori seu iudici candido relinquere. Si forte Turrim in altissimo monte sitam cui libeat dimetiri, per ipsum hoc Problema nec vllum aliud id ipsum præstabit, sed primum omnium altitudinem montis simul & turris inquirat, deinde illam montis sublimitatem solam, vtrumq; tamen Problematis huius beneficio, & subtracta deinceps montis altitudine à sublimitate Turris & montis primum coniunctim collecta, sola ista remanebit altitudo Turris optata.

## PROBLEMA SEPTIMUM.

*Turrim duarum distantias quomodo inuenias stans in altera Turri.*

**T**urrim duarum distantiam dimensurus ex altera earum, ex fenestra infima respicito, filumq; super lineam Zodiaci (quæ à cruce per centrum globi imaginatur) dependere finito, ita vt illud tñ nullū punctum vmbrae attingat, & deinde per pinnulas signum aliquod bene notabile in altera turri obserua. Mox altius turrim ascende, & ex fenestra alia vel priori directe supraposita vel certe ex eodē latere rursus per pinnulas prius obseruatū signum alterius turris inspice, atq; obserua quod tandem punctum filum attingat inter puncta vmbrae versæ, super hanc enim illud cadere semper oportet, dummodo turres nota-



biliter à se inuicē sint remotæ. Ceciderit itaq; filum super 25. puncta vmbrae versæ, Mésurato deinceps fenestrae vtriusq; distantiam, ex eo loco in quo ocul' tuus vtrinq; punctum propositum obseruauit, Vt si distent vlnis 15. propone hanc tibi regulam, 25. faciunt 100. quid igitur vlnæ 15. Multiplica 100. cū 15. prouenient 1500. id diuide in 25. & habebis vlnas 60. totidem enim à se inuicem distant Turres ambæ.

Poteris eadem regula in multis vti, vt si scire voles quæ sit fluminis alicuius latitudo, tñc enim notam aliquam tibi propone in altera fluminis parte, & in loco obseruationis prius tibi deliges locos duos, quorū alter altero sublimior sit, vnde obseruare commode possis.

## PROBLEMA OCTAVVM.

*Qua ratione turris alicuius altitudinem deprehendas, oculo in eius summitate existente?*

**Q**uid vero si ipse in Turri sis cupiasq; prius altitudinem eius inquirere, q̄ te ex illa des præcipitem, nostro ne hic quoq; vsurus es consilio, sanè si sapis modo, fac itaq; quam primum tibi proponas fenestras duas vnius planæ & latitudinis & distantia à terra,

D 3 in eo